

CLANGOR BUCCINAE
TRACTATUS MIRABILIS, SIMVL
& attentissimus, ex quadam vetustissima
scriptura excerptus.

DE LAPIDE PHILOSOPHORVM
satis fideliter, simul & physicaliter omni-
bus Philosophis edisserens.



N nomine Domini, Amen. Buccinae clangor de lapide benedicto Philosophico: Qui operationis & virtutis genere mirabiliter intonat: De quo varias Philosophi posuerunt sententias & scripturas. Vnde de prima essentia Philosophus primus Thales Milesius dicit: Antiquissimum entium Deus, ingenitum, æternum: Vnde & Pythagoras dicit: Dico Deum ante omnia fuisse cum eo nihil fuit cum fuit. Et intellige, quod Deus cum solus fuisset in principio, creauit vnam substantiam, quam primam materiam nominamus. Et ex illa substantia alias quatuor res creauit, ignem, aërem aquam & terram. Ex quibus iam creatis omnia creauit, tam sublimium quam inferiorum. Et sic ante omnia alia præter materiam primam, quatuor creauit elementa, ex quibus postea quod voluit, creauit, diuersas scilicet naturas. Vnde Deus suo verbo creauit, quibus dixit: Estote, & facta sunt, scilicet quatuor elementa, & alia. Ex ijs ergo quatuor elementis omnia sunt creata tanquam ex radice, cœlum, throni, Angeli, stellæ, Sol, Luna, mare, ac omnia quæ in mari sunt, quæ varia sunt, & non similia. Quorum naturas Deus diuersas fecit sicut creationes, eò quod ex diuersis creatæ sunt elementis. Nam si ex vno create essent elemento, conuenientes haberent naturas. Sed quia hæc diuersa elementa cum cõmiscantur, suas amittunt naturas, eò quod calidum frigido commixtum, nec calidum, nec frigidum fit: humidum verò sicco mixtum, nec humidum fit nec siccum. Ideo creaturæ inde exeuntes naturas habent diuersas. Quarum
crea-